6

NATALITIVS
VIRGINI
DEIPARAE

Plauſus

In Collegio Seminarij Peruſini

datus

Ab Alumnis Clericis & Contubernalibus

Anno Domini MDCLIII.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

D. HORATIO MONALDO

EPISCOPO.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Ad Eminentiſſimum
Heroica magnanimitate
PRINCIPEM

FVLVIVM CORNEVM CARDINALEM

Auguſti in Auguſta Patria Seminarij
ante annum prope centeſimum
FVNDATOREM
munificentiſſimum

Cum alluſione ad gentilitium ſtemma optimi Principis, Patris Patriæ.

HEroum, Princeps, magnorumque æmule Regum,
Quem cælo attollit neſcia fama mori.
Iuſſiſti has olim conſurgere molibus Ædes,
Quas Pietas, & quas Pallas honora colat.
Viuit adhuc, memorique diu ſub pectore viuet
Munus, & æternùm muneris author erit.
Ditat inexhauſto fæcũdum gurgite *Flumen*,
Purpureaque vmbra *Cornus* amica tegit.
Hinc & Caſtalias haurire licentiùs vndas,
Et datur emeritis nectere ſerta comis.
Saxa perire queunt, non facti gloria. tuque
FVLVI eris, hæc poſtquàm marmora puluis erunt.

Petrus Vagnutius Cortonenſis.

A De

DE VETVSTISSIMA
& omnium prima
SEMINARII PERVSINI
Fundatione
ANNO MDLIX.
ad
B. VIRGINEM.

QVAE TVA, & antiqua
cenſetur origine prima,
Nè ſit, DIVA INFANS, vl-
tima laude DOMVS.

C. Antonius Verducciolus.

AD AMPLISSIMVM
ANTISTITEM
HORATIVM
MONALDVM
PERVSIÆ EPISCOPVM
Auguſti Peruſini Seminarij
Præſidem Patronum
Patrem
Beneficentiſſimum.

MONALDE magnis clare parentibus,
Illuſtriori laudis adorea.
Quos fama cinxit, decuſque
Perpetuo nitidum ſereno.

Vel qui diſertæ Palladis artibus,
Vel qui Gradiui puluere nobiles,
Vel qui ſacris pulchri tiaris,
Vel Latio micuere in oſtro.

At Te recenti lumine fulgidum
Spectata ſemper rebus in arduis
Virtus, honora Te curuli,
Tollit auos atauoſque ſupra.

Te dulcis & Te candida comitas,
Moreſque Cæli è moribus aurei,
Te cura commendat tuorum,
Te pietas operoſa PATREM.

Non hìc ſonoro nectare flumina
Vndare viſes nobilis eloqui,
Non hìc nouem cætus Sororum
Pierios iterare cantus.

Te

Te qualis olim copia depluit
Tonante templis, cum ſupero beas
Sermone mentes, & ſuperba
Corda hominũ in lacrymas reſoluis.

Sed vena ſimplex pauperis ingeni,
Sed dulcè nunquam fiſtula perſtrepens,
Et murmur indoctum, & canoræ,
Vt pueri potuere, nugæ.

Vtcunquè. nõ Tu deſpicies tamen,
Et mitis aures huc faciles feres,
Vultumque amicum, nec moleſtè
Subtenuem patiere PLAVSVM.

Sic ore patres primula blandulo
Proferre gaudent verbula pupu-
los ;
Noſtroque nobis ſic abunde
Sat fuerit placuiſſe PATRI .

ORA-

ORATIO

Habita

Ab Anſelmo Vignatulo Clerico.

PArit ab effæto ſinu annoſa ſterilitas. laxatur in fæcunditatem vterus tot annorum contumaci torpore præcluſus & piger. optatiſſimo tandem partu prodit in lucem Infans beatiſſima, non occaſuræ parens lucis, & noſtræ parens beatitatis, qua beatitas nulla poteſt eſſe diuinior, illatura ſideribus terram, Deum homini paritura. O meum verò in tanta fæ-

cunditate infæcundum ingenium! ò exuccam in tam vberi laudum materie laudatoris infantiam! ò veriùs ad tam mira tot miraculorum prodigia, perſtrictos oculos, defixam mentem, conſtrictam linguam! vt niſi me veſtra ſubindè confirmet excitatum humanitas, iurê verear, in hoc fauſtiſſimo natali, vel orationis facundæ vicem muta tantùm ſilentia ſubitura, vel ſilentij ſimilem ſtupentemque per omnia, & ſinè lege diſſolutèque vagantem admirationem.

Et ſanè, quò ferar incertus, vel quo potiore in tam multis mihi ſit vtendum elogio, animi pendeo. Nam & generationem eius quis enarrabit? per tot heroes ac principes perpetua ſerie ducta nobilitas.

tas , & paterni materniquè generis claritas, quà fortiſſimorum Ducum imperatorio decore triumphalis, quà clariſſimorum Regum maieſtate ſublimis, quà integerrimorum Vatum & Patriarcharum religioſa infulis, quà ſummis Sacerdotibus & Hierarchis auguſta & ſancta. Aut quis altiorem vetuſtæ originis pro dignitate repetat dignitatem, inclytæ proſapiæ ſplendore præcipuam; quam prępotenti conceptam mente, & ingenita fætam diuinitate, ſingulari quadam ratione profuſam, diuinis elaboratam artibus, diuinis pigmentatam & coloribus & penicillis, fæminarum primam, & primogenitam ſuam, eſſe voluit idem operis pulcherrimi conditor, & operis amator Deus.

Nondum gelidæ fontium perennitates emerſerāt; nondum liquidis prouoluta argentis flumina ferebantur in pelagus; nondum Oceani ſæuientis immenſa vaſtitas imperio ſtabili limitibuſque coercita; nondum montium excelſa, aprica collium, demiſſa vallium, & camporum latè patentium fuſa planicies; nondum elegantiſſimus hic totius mundi ſuperioris ornatus, & innumerabiles æternùm micantium & perpetua vertigine decurrentium ſiderum faces; nondum annorum temporumque arbitra lumina; vel eius, quæ in tenebrarum ſolatium eſt, candida vultu, fratris æmula; vel eius, qui rector & Cæli decus, illuſtre lætis exſerit terris caput: cum vni illuſtriùs

effin-

effingendæ Natæ, comendæ Coniugi, excolendæ Matri, tota viſa eſt intentiſſimè molitrices & architectas manus admouere Diuinitas. Cuius proinde tanto & tam diuino exprimendo decori quæ lingua niſi diuina ſit ſatis, quod humana nulla mens capit? & quæ comparatio non minor; ſi & Cælum dixiſſe parum eſt? quæ ſupra Cælos attollitur, Cælorum domina, patrona terrarum, metuenda inferis, adorata ſuperis; in meliorem ſanctiorēque partem adſcita, ipſique propè par Numini, ſupra quàm intelligere mortalitas queat, origine, affinitate, affectu coniuncta!

Cuius etiã quàm non imbellis & fæmineus, ſed fortis & verè gygantæus eſt decor?

quæ primo ſtatim inceſſu

Attollentem iras & cærulea colla tumentem,

veneno fædum, ingenio ſæuum, callidum vſu, truculentum victorijs, Stygium Anguem eliſit; quæ primo ſtatim aſpectu, & clariſſimi nominis fama, præcluſit tartara, aperuit ſidera, captiuo & amatore Deo triumphatrix. Nimirum qui decore induit, ſimul præcinxit fortitudine; iuſſitque, placitam ſibi puellam vtrinque, & venuſtate formæ, & virium robore, bellatricem felicitatis inuictæ.

At vos interim (libet enim ſic orationem auertere) vos, inquam, officioſæ ancillæ, vicinæque, & cognatæ, & amicæ, quæ nobili puerperio operam nauaturæ frequentes accurritis, agitè, ſternite

par-

paruulæ leues cunulas, componite teneros artulos mollibus plumulis, præcinite dormiturienti næniolas blandulas; faſciolas, linteola, corollas, floſculos, crepundiola quærite Pupulæ. Imò agitè, ſpectacrices otioſæ, ſegnes, mirabundæ, attonitæ, compreſſis manibus, nihil agite. Nam quid ſternere cunas eſt opus, cui famulanti obſequio, ſubiectis cornibus, argenteo curru, cunarum vice, Luna ſubſternitur? quid vllis crepitaculis, vel blandimentis, aut florido vere; cuius regali vertici coronando, & oblectando genio, certatim luſitant cādidæ ſtellulæ? quid velamentis & pannulis, quam pretioſo & ſplendido amictu Sol aureus circumplectitur? quid vllis mor-

talium cantibus, vel conciliando ſopori, vel modulandæ laudi; cui diuinum concinit melos, & beatæ mentes perſonant plauſibus? Hoc potiùs vigiles ipſæ excubias agite; & videte ſedulò, nè qua lateat per tot obſequia, & illecebroſis in cantiunculis fraus; nè Reginam ſuam Aligeri & Cæleſtes orbes, alienis præreptam Laribus, patria reducant in ſidera, violentis, vt ita dicam, manibus furta auſi tentare vel raptus. Imò agite, tanquam inamico iam Cæli terræque fædere, in hac redditæ tandem pacis tranquillitate, ſecuræ, deſides, nihil tale metuite. Dominam illi ſuam & Imperatricē triumphali veluti pompa ſectantur, hærent lateri, nutibus pendent; & vbicun-

què

què diuini oris fulget aſpectu Puella auguſtiſſima, Cælum facit; in venerationem & miniſteria aduolantes vltrò Superos trahit. quæ ipſum adeò æternum Sponſum cæleſti è thalamo ad odorem longè latèque fragrantium vnguentorum ſuorum iam deuocat in caſulam & ſuum ſinum. cuius crinuli vel ſpicula ſunt vel plagulæ, quibus ille ſe pariter & vulnerari amat, & irretiri. Et quid oculi facient fulminei; quid paradiſi amænitate ſpirantia, purpuraque micanti labella; quid cæſaries tota; ſi vel vnius ictu capilluli ſaucius, ſic facilè ſic ſponte captus, in prædam cadit? ò prædatricem nobilem, nobiliorem prædam! ò naſcentis puellæ beatiſſimæ trophæa pulcherrima! cui tam

præfeſtinatæ, tam illuſtres ſunt palmæ; & victoriæ paribus auſpicijs & vitę, cuna in currum vertitur triumphalem!

Vtinam nos quoquè, vtinam! collo ſubeuntes vltro tã dulcia vincula, comitemur pompam, triumpho numerus, fortunati captiui, beata mancipia; & fiat ſeruitus omni libertate, omni dignitate regalior! vt quando balbutiens, & tot victa rerum miraculis lingua, mutire vix auſa, hæc tanta Natalitiæ ludis ſolennia ſinè vllo verborum apparatu, ſinè vllo ſplendore ſententiarum, ſic ruditer inconcinnèque perfuncta traducit; ſaltem vna feliciter ardens in Virgine, & Virginis totus, Virgini laudes & grates, omni Rhetorum

rum copia opulentiùs, facundis affectibus, tacita eloquentia, peroret animus, loquatur cor.

DIXI.

CARMEN

Habitum

A Io: Baptiſta Barberio Romano Contubernali.

ET me dius amor, dulci ſub pectora tæda
Incenſum, rapit ad MAGNÆ cunabula NATÆ,
Nazareiq; Laris fortunatiſſima longè
Limina, vbi miſeris tādē noua prodita rebus
Gaudia, vbi tenerū formæ diffundit honorē
Paruula, diuinis exculta nitoribus. Ergo
Ire iuuat reſides ferientem pectine neruos,
Et pia deuoti iactantem pignora cordis.
Nam quid ego ſperē, regalibus æmula dona,
Cui modus exiguus rerum tenuiſq; ſupellex,
Regales ferre ad cunas? nec tu indiga noſtrę
DIVA potens ſortis, cui donat ab æthere ſummo
Cuncta Pater, largoq; fluens opulētia cornu
Diuitias cumulat; quales non vlla beatis
Cenſibus aut olim tulit, aut feret Heroina.
Tu potiùs mihi DIVA dabis, tu pectoris æſtum
DIVA cies, ſubdiſq; faces; tibi noſtra viciſſim,

Illa

Illa vecumque ſtrepens inamæni murmuris auſu,
Plaudit ouans Clio, modulataq. concit aris,
Et natalitium reddit pro munere carmen,
Et natalitias offert de more coronas.
Verùm ergò quò ſubitis rapior per inania pennis,
Inſuetũ tranſuectus iter, nec cognita luſtrans
Arua? Palæſtinas nũquid Solymaſq. Syraſq.
An me fallit imago, plagas? atq. ardua mõtis
Culmina Carmeli aſpicio, & iuga lęta Thaboris,
Iordaneq. lacũq. ſacrum, vicoſq. beatos,
Et deſcendenti tormoſa ſuburbia cælo?
O noua terrarum ſuperis habitata maniplis
Hoſpitia, ò ſedes miti dilecta tonanti!
O Domus aſtrigero iam tu minùs inuida mundo,
Ille licet clarũ gemmanti tegmine peplum
Explicet, & pulchra diuerberet omnia luce;
Nec tu luce minor, nec te vulgare per æthrã
Nominis attollit decus, atq. interſerit aſtris,
Perfugium terris, templum venerabile Diuis.
Diuiduum tu ſola facis, geminumq. tribunal
Eſſe iubes, aliãque aperis Cæleſtibus Aulam.
Hic exarmatus tenero placidiſſimus ore
Regnat Amor; gaudens illic terroribus atq.
Fulminibus, ſolio Maieſtas fulta verendo,
Sceptra quatit, vibratq. faces; & ſole coruſco
Quanquam ardens, nebula ſeſe tamen occulit atra.
Non Parius Phrygiusvè lapis, nec fulgor electri,
Nec te auri argentiq. decor, poſteſq. ſuperbi
Commendant, pictæque trabes, celſæque columnæ;

Nec gẽma penetrale nitẽs, nec lucidus oſtro
Regali paries, pictiſq. tapetibus; aut quæ
Sunt ab Apellæis animata coloribus ora,
Aut qui ebore effícti, aut ſpirant qui è marmore vultus;
Atria imaginibus vel quæ decorantur auitis
Alta triũphales pandunt lõgo ordine põpas.
Sed te cultus inops, ſed te nudiq penates
Anguſtique lares, humilis te culmina tecti
Attollunt, tenuiq. calens in lumine flamma.
Te menſæ lectiq. breues; tibi neſcia fraudis
Arriſit, gemmiſq. Indoque micantior auro,
Sola bonis opulenta ſuis & diuite cenſu,
Pauperies, pluuio quẽ mittunt ſidera nimbo.
Te chorus Angerum vibrãtibus impiger alis,
Obſequium laturus Heræ, cunabula circum
Qui plauſus, choreaſque leues, celereſque recurſus
Ingeminat, reſoniſque auras concentibus implet,
Dona manu ſpargens plena; te DIVA, labanti
Nata ſalus orbi, DIVA inclyta, Numinis alti
Progenies ſumma, ætherei Regina theatri,
Edita nobilitat. ſed tu licet æmula Cælo,
Cælitibus par vna Domus, DOMINA tamen vna
Es minor! ò quali DOMINA! Charis aſpice quanta,
(Si fas eſt oculos homini defigere fædos,)
Et quæ forma Deũ patrijs depellat ab aſtris.
Aſpice, ſidereo blanditur vt aurea vultu,
Vagituque leui, dulcique tenerrima riſu.
Aſpice, quale decus fronti; quod lumen ocellis;
Quæ ſparſæ per membra niues; vt Apolline multo

Fla-

Flaueſcens crinis, genuſis vt lilia pulchris
Immixtæque roſæ, quantumque in Virgine cælum;
Quantus amor ſuperum, & qui Numinis ardor amantis!
O amor! ò Numen! gremio, viden, anxia mater
Vt fouet, & totis Natam complectitur vlnis!
Huius inardeſcit, viden, vt bene torrida flammis,
Vt ſtudet, vt pulchræ DIVÆ ſe deuouet vni,
Delicias mirata ſuas, ſua gaudia felix!
Vritur, & molli pectus populante fauilla,
Vbera lactenti promit turgentia rore,
Et Pupam inuitat roſeis ſuxiſſe labellis;
Obtutuque hærens placito, viſuque cupito,
Flagrat amans auide, vultus oculoſque tueri,
Quos Deus inſedit tam claro lumine, qualis
Arce ſedet ſupera; atque imis transfixa medullis
Expleri nequit, & complexibus oſcula mille
Mille ferens, & mille ſuper centena refigens
Oſcula complexuſque, & ſuauia ſuauiter addens,
Emoritur medijs Vitæ complexibus almæ;
Mobilis immota; & lacrymas, ſuſpiria, voces
Certatim miſcent complexus, oſcula, luſus.
Fortunata Domus; nam te, Domus inclyta, noſtra
Vota petunt, longèque tuis aduoluimur aris,
Vultibus in terram fuſis; neq limina tanta
Spectare audemus non puro corde; adeò intrò
Sit greſſum mouiſſe ſcelus, non ſaxea, nec tu
Terræ opus; at cælo quondam fluxiſſe ſereno

Diceris, Aligerum manibus conſtructa; repentè
Emicuiſſe ſolo, DOMINÆ Auguſtale futurę.
Te patrijs raptam Aligeri de ſedibus olim
Tranſuexere chori longuinqua per æquora, donec
Sæpiùs auectæ ſtabiles placuere receſſus
Picentum Solis nec ſeſe Eoa cubili
Iam Thetis extulerit; tu tu gemmante recludens
Ore diem, tu vera Domus, tu Regia Solis.
Fortunata Domus, ſtricturam luminis aurei
Huc immitte precor; flāma clareſcet amica
Pectus, & obſcuræ pulſa caligine mentis,
Te numero meliore canam, te ſupplice plectro,
Et tua perpetuo venerabor Numina cultu.

ELE-

E L E G I A C V M

Habuit

Antonius Franciſcus Paſſerinus Cortonenſis Contubernalis.

NOs quoquè feſtiuo circum cunabula cantu
Ludimus,& Dominæ vota preceſq. damus.
Virgo faue; natalis adeſt, tibi dedita pubes
Certat in obſequijs officioſa pijs.
Heroas alij tendant in carmina vires,
Alta cothurnatum Muſa laceſſat opus.
Quis licet ingenio liquidos traſcendere nimbos;
Aſtrigeras propiùs viſere poſſe plagas.
Quis & inaceſſos Pindi penetrare receſſus,
Et datur Aonia cingere fronde comas.
At noſtra ingenti non ſuffectura theatro
Imparibus gaudet flectere verba ſonis.
Et tenuē,vt poterit,tētās modulaminis orsū,
Qualiacunque leui fila ferire manu.
Magnos magnā decēt,ſublimes grādia,fortes
Fortia; duntaxat parua puſillus amat.
O quā te memorē Diuū genus,inclyta Virgo,
Deliciæ ſuperum Virgo, decuſque Poli!
Naſceris,& tecum primæua renaſcitur ætas;
Naſceris, & melior ſpeſque ſaluſque redit.

Et tecum æthereæ venientes agmine Diuæ
Ingeminant lætis orgia feſta modis.
Et pietas antiqua, fides ſincera, pudorque;
Aſtræa, & niueo gratia nuda ſinu.
Tum fera cum triſti fugiens diſcordia bello,
Ceſſit in antiquum Tartara nigra cahos.
Pax ſubit, auratis volitans formoſior alis,
Quaq. volat, gēmis picta ſuperbit humus.
Et clari puris radiant ſplendoribus axes,
Candidior toto fulgurat orbe dies:
Nulla ſerenatum conturbant nubila Phæbum,
Mitior æquato ſternitur vnda ſalo.
Iam riſus facileſque ioci, redeuntq. cupita
Gaudia, pacatiſque otia temporibus.
Aſpicis, vt priſco niteant animata metallo
Sæcula, & incipiat mundus vt eſſe nouus.
Omnia gratantur reduci poſt funera Vitæ,
Naturæ fauſto murmure plauſus ouat.
Reginam cupidi ſubeuntem ad lumina Solis,
Numinis & pulchrum ſentit adeſſe iubar,
Illa ſacrum flexo veneratur poplite nomen,
Agnoſcunt dominam pōtus & aſtra ſuam.
Illa canit diuum ſtudijs certantibus ortum,
Mille canunt voces, vox tamen vna ſonat.
Pulchrior & ſolito cultus induta nitentes,
Dat famulatrici prodiga dona ſinu;
Quicquid habet cumulās pretioſis munera Cunis,
Innumera obſequij pignora certa ſui
Sic agitur penitùs geniali concita flamma,
Nec capit vndantem pectore lætitiam.
Audin, vt harmonicus cælorum concinit ordo,
Vt ſuperum Aligeris perſonat aula choris!

Feſta

Feſta cohors feſtis pręcincta nitoribus, altũ
Linqnit, Nazareæ tecta ſubitque domus.
Felicis pia tecta domus, recta æmula cælo,
Tecta, quibus quondã ludet & ipſe Deus.
Hic vbi vitales teneris vagitibus auras
Mulcet, ab Annæo prodita Virgo ſinu.
Pandit & ò qualem Diuinæ frontis honorem
Paruula, & ò quanta lumina luce micant!
Vt blãdus decor ore, genis vt blãda tenellis
Forma, Charis toto corpore quanta ſedet!
Oſcula quid ſpirant miti pulcherrima riſu!
Dulce ſuum haud dubiè hinc lumen Olympus habet.
Ambroſio qualis ſe fundit vertice crinis!
Hinc ſua ſidereus vulnera ſentit amans.
Qui niueus pulchro lacteſcit pectore cãdor!
Hæc verè ad Superos lactea facta via eſt.
O formoſa nimis, formaque beatior omni,
Ac ſummo tantùm Numine, Virgo, minor.
Nec tu mortalis, nil non cæleſte renidens,
Tu terris cælum, clarior aula Dei.
Nata, adẽ, coniuxq; parenſq; futura Tonãtis,
Cui lectis de tot millibus vna places.
Quos tibi nũc plauſus vel quę pręconia dicã,
Et quæ non meritis inferiora canam?
Nobile fulget ebur, Tyriũ quod tĩxerit oſtrũ,
Purpureiſque nitent lilia mixta roſis.
Multicolor vario decoratus ſchemate florum
Quã bene vernantes explicat hortus opes!
Et matutino propellens orbe tenebras
Lucifer Eoa quàm bene ſurgit aqua!
Cultaque inauratis veniens Aurora capillis,
Spargit roranti florea dona manu
Et ſtellis maior, cæloque inuecta ſereno,
Candida nocturnis luna triumphat equis.

Et roſeos agitans currus beat auſpice mundũ
Lampade, gemmatę lucis ab axe parens.
Verùm adeò ſordeſcit ebur vel murice pictũ,
Cumque horto flores, lilia cumque roſis.
Omnia tu ſuperas, Virgo, tu ſidera pulchra
Vincere, & Auroram, luciferumq́ potes.
Et tibi ſeſe humilis demittit ad oſcula Phæ-
Et tua crinalis tẽpora Phæbus obit. (be,
O Virgo formoſa nimis, nimis ò quoq; fortis!
Vt pulchrè, vt validè forma decetq; vigor!
Mille tibi clypei gemmis auroque coruſci,
Mille tibi pendent ſpicula, mille faces.
Qualiter inuictis acies inſtructa maniplis
Bellantum iam iam poſcit in arma manus;
Nominis aſpectuſque fugat terroribus hoſtẽ;
Nobilis ante ipſa prælia palma venit.
Taliter es Virgo, cui victa potentia cedit
Infera, quã pallens Styx Acherũſq; tremit.
Fortiùs Herculea dextra tibi cõcidit Hidrus,
Hidrus Auernali luridus anguis aqua.
O Diua ò felix miſeris tutela ſaluſque,
Quæ tibi cũq; damus munera, Diua cape.
Nos tua turba ſumus, noſter tibi ſupplicat or-
O agè Diua potens, Diua tuere tuos; (do,

EVCHARISTICON

Dixit

Laurentius Porcellinus
Florentinus.

AGè Muſa, quæ beati
Colis alta tecta Pindi;
Agè nobilis Coronæ
Carminibus blandiloquis
Deuenerare cœtum.

Decus illa nam benigno
Dedit inclytum fauore,
Facilemque ſplendidamque
Sidereis luminibus
Fecit honoris auram.

Tuus

Tuus ille namque primus
Amor, ille cura dulcis,
Opulenta cui refundens
Ingenij Palladij
Dona dediſſe gaudes.

Agè verticem comantem
Leuis incitet volatus,
Zephyrique blandientes
Ingeminent dulciſona
Murmura GRATIARVM.

Ex Claſſe

CLERICORVM

Noua Æua
In vitam venit, datura vitam,
Mortalibus immortalem.
Reddet hæc, quod illa abſtulit,
Vel cum fænore;
Pro malo bonum,
Pro paradiſo Empyreum,
Pro homine Deum.
Hanc fugit ſerpens noxius,
Et primæ author calamitatis;
Sed fruſtra;
Ante conceptum
Puellæ Beatiſſimæ,
Nedum ante exortum,
Fractis viribus, amiſſis armis,
Obtrito capite.
Tantæ Parenti,
Patronæ Dominæ
Reparatrici Soſpitæ
Plaudit Natura, ſeruit Cælum,
Aſſurgit Numen.

Anaſtaſius Rinaldus.

Ad

AD BEATISS. PVELLAM

O Quo te celebrem Puella cantu!
Quo te munere, Diua! quæ ſub auras
Diuinum reſeras benigna vultum,
Forma ſider bus nitentiore!
Humani ò generis potens patrona,
Terrarum bona Diua ſoſpitatrix;
Quam ſupplex ſuperę ſenatus aulę
Impensè colit, & veretur vnam,
Dilectam Supero nimis Parenti,
Et deſiderio nimis cupitam.
O quam te memorem! tibi ſerena
Plaudit luce polus, tibi coronam
Texunt æthereo decore pulchram
Aſtra, Sol chlamydem, Soror cothurnos.
O quo te celebrem Puella cantu,
Humani ò generis potens patrona!

Angelus Vrbanus Alexius

B. IN-

Ad Lectorem.

QVid ſibi vult lacrymis irrorans pulchra tenellis
Ora Infans? lacrymas prouocat illa tuas.

Anſelmus Vignatulus.

Fæliciſſimi partus expectatio.

NAſcere terrarumque ſalus cælique voluptas,
Naſcere; erunt Soles te veniente duo.

Cæſar Cencius.

Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum. *Cant. 4.*

VVlnerat vno Infans oculo, ceu miſſile telo,
Talis inexpertum vulneris ante Deum.
Et vix nata, illum, nè nos vltricibus armis
(Proh pietas & amor!) vulneret, ipſa ferit.
Deſinit ille etenim, fætu prolata recenti
Virgo Deum aſpectu dum ferit, eſſe ferox.

Cæſar Spetialinus.

AD AVGVSTISSIMAM INFANTVLAM.

HVc luces, agè, verte blandientes,
Huc riſum facilem vella verte;
Huc ò lum'na, Diua, cōprecamur,
Aſtris lumina clariora pulchris,
Puro lumina clariora phæbo;
Supplicemque tibi tuas ad aras,
Fidentemque tibi tuere cætum;
Dum Natalitio frequens honori
Libat thura pijs cremata flammis,
Affectumque ſimul dat æſtuantem
Cordis, Sicania magis fauilla.
Si tu reſpicias fauente viſu;
Vnum ſi placidè vibres ocellum,
Florebit ſubito nitore Pubes,
Et ſpes, & pietas, ſalus, fideſque
Virtuſq. & decor omnis emicabit.

Dominicus Anſelmus.

Ad

Ad Perill. & Reuerendiſs. D.

D. VICTORIVM DE LANCILLOTTIS

Nobilem Spoletinum
Peruſiæ Vic. Gen.
Et Auguſti Peruſini Seminarij Rect. Vigil.

Reuerendiſſimus Victorius de Lancillottis Vicarius generalis.

Anagramma:

Sol alter eris, nunc radius olympius es, ciuis, decus, & gloria Turrenæ.

IAm SOL ALTER ERIS, meliori lumine fulgens,
TVRRENÆ vt CIVIS, munia Patris obis.
NVNC RADIVS meritò dicaris OLYMPIVS ES ſe,
Noſter honos dulcis, GLORIA, famaque, DECVS.
Hic tantùm innumero laudum celebraris honore,
Digna olim meritis præmia Roma dabit.

Fabritius Nerius.

Ad

NEC TV ABIBIS
INDICTVS
Et te ſileri ſit nefas,
Humanæ felicitatis authorem,
IOACHIME SANCTISSIME.
Tuus eſt ſanguis noſtra ſalus;
A te fluxit noſtra beatitas,
Pater es
Virginis integerrimæ,
Virginum maximæ,
Specioſæ fortunatæ pr ę cæteris,
Et præ cæteris Deo placitæ,
Quem te dicam?
An Dei conſortem,
Quia Filiam habes
Cum Deo communem?
An Dei Socerum,
Quia tibi Deus eſt Gener?
An Dei Auum,
Quia tibi Deus eſt Nepos?
Regali & Sacerdotali ſtrrpę
Hinc inde fulgetis,
IOACHIME, ANNA,
Parentum feliciſſimi.

Sic

Sic Puellam vos orbi dare;
Quæ ſummum Sacerdotem
Et Regem
Sit datura; quid mirum?
Sed illa à Cælo eſt,
Cui nihil adhæſit terrenæ labis;
Luna ſinè macula,
Ante Lunam concepta;
Sol abſque nube,
Ante Solem genita,
Et ſupra Solem.
O noua terrarum Trias,
vterque Parens & Nata!
Et vos ſupplice cultu
Adorat orbis,
Et ſe vobis humiliter donat
Hic calamus, hæc lingua,
Hic animus.

Florauantes Lancellottus.

Ad

Ad B. Puellam lacrymantem.

SIſte precor lacrymas. ah quid? fluat imber in ora.
Perfundunt rores lilia mixta roſis.

Iacobus Philippus Annibalius.

Ad eandem.

NE lacrymis, nè læde genas, bona Pupula. Fallor.
Quæ cadit ex oculis lacryma, gēma micat.

Ioannes Porcellinus.

B. Infantulæ Caſtitas Charitas.

QVid niuę candidius, quidue eſt ardentius igne?
Virgineus nitor eſt, Virginea eſt Charitas.

Io: Antonius Capellettus.

Pulchra vt Luna.
Cant. 6.

EST Triuiæ lenis ſpecies, & frater in ore;
Eſſe genas Phœbi, lumina & ipſa putes.
Naſcitur orbe Parens, & candida Nupta Tonantis;
Dic, ori authorem lucis ineſſe Deum.

Angelus Spichius.

In Stemma
Clariſs. & recolendæ perpetuò memoriæ Principis
FVLVII CORNEI CARD.
Collegij Seminarij Peruſiæ
FVNDATORIS OPT.

DVm memores erimus Patris, dum viuet in omni
FVLVIVS ore, virens CORNEA ſemper erit.

Horatius Saluatorius.

In idem Stemma.

EIa agè, ſic viuax CORNI rubor indicat almi;
Feruida in Æthereū pectora ſume Deum.

Io: Andreas Ciccarellus.

Ad

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.
HORATIVM MONALDVM
PERVSIÆ EPISCOPVM.

O Decus, Auguſtæ fulgor nitidiſſime gentis,
O nimiùm Auguſtæ Præſul amate tuæ;
Quàm Tu nobilium merito decoraris Auorû,
Tam virtute Tua nobilitantur Aui.
Præſul es & Paſtor. populi ſic fræna capeſſis;
Sed tu vis tantùm nomina habere Patris.
Sic potes indoctas non faſtidire Camænas,
Sic pietas docuit tędia poſſe pati.
Tædia nulla tamen. nam MAGNÆ encomia NATÆ,
Quæ vox cumq. ſonat, vox Tibi dulce ſonat.

Franciſcus Vitus.

Ad eundem.

Alluſio ad Stemma.

SVblimes Turres, labentia flumina ſubter
Aurea, præclaro in Stemmate, Præſul, habes.
Eſt tua iam ſatis, eſt Virtus benè cognita, & mutæ
Sint linguæ; iam vim muta loquentis habent.
Arce decus nitet Heroum; tum lympha ſuſurrans
Quid niſi fæcundæ Religionis amor?

Ioſeph Panurgus.

HORA-

HORATIVS MONALDVS

Anagramma

HONOR SVDAT ALIVS.

IT decor in frontem; meritis certatur optimis,
Virtutique ALIVS præmia SVDAT HONOR.

Franciſcus Gentilis.

HORATIVS MONALDVS PRÆSVL

Anagramma

ASTREÆ, STVDIVM, HONOR, LAVS.

LAVS, HONOR, & STVDIVM ASTREÆ es, Pater optime Præſul,
Hinc Vrbi vibras lumina mille tuæ.

Io. Baptiſta Roſellius.

PVLCHRA VT LVNA
Cant. 6.

QVid ſatis eſt, pulchrum Lunæ dixiſſe decorem?
Sunt Lunæ maculæ, non macula vlla tibi.

Io: Carolus Bartolellus.

Sicut Lilium inter Spinas.
Cant. 2.

SIc fulges inter Solymas, mea Diua, puellas;
Vt ſpinas inter lilia caſta micant.
Huc ades, ò Formoſa. poteſt tibi noſtra placere
Conuallis. Spina hic plurima pectus habet.

Iulius Nauia.

Beatiſs. VIRGINI Munus

AD cunas, pia Virgo, tuas nō florea dona,
Aurea nō ego, nec gemmea dona fero.
Sunt mea dona tibi gemitus lacrymęque precantis;
Namque hæc ſola tibi dona placere puto.

NicolausRighettus.

Ad

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

D. IOSEPHVM ALMERIGIVM

In principe Perusiæ Baſilica

ARCHIPRESBYTERVM

Sem. Per. Alumnum nob. nunc & Patronum.

QVę te ſæpè, IOSEPH, mirata eſt Aula loquentem,
Cum canerent miris ora diſerta modis;
Vt tibi Pieriæ carmen dictaſſe Sorores,
Sitque dediſſe ſuam viſus Apollo lyram;
Hęc ſtrepit indoctis malè condita nimirum plectris;
Sic velle eſt alijs, quod tibi poſſe datum;
Aure tamen facili pateris vultuque ſereno,
Solaque materies ſat placuiſſe poteſt.
Nunc te Muſarum illuſtrem decet eſſe PATRONVM;
Muſarum illuſtris nuper ALVMNVS eras.

Octauius Rinaldus.

D. Anna ad B. Infantulam.

TEla tui, ſunt tela tui, vaga Pupula, ocelli,
Nè perimas, nè me, blandula Pupa, vide.
Quid demens? Pupa adde faces, Pupa ingenere tela;
Dulce mihi eſt oculis ſic perijſſe tuis.

Sebaſtianus Marinus.

Ex

Ex claſſe
Contubernalium.

DEIPARÆ
MATRI-VIRGINI
Auguſtiſſimæ Integerrimæ;
Summæ, Principi, Reginæ;
Summi Numinis
Natæ, Parenti, Coniugi;
Inclyto Cæli decori,
Terrarum præſidio;
Angelorum Dominæ,
Primæ mortalium,
Secundæ Numini,
Propè Numini;
Prodeunti ad lucem,
Proditure lucem,
Noctis expertem;
Tutelari, Patronæ, ſoſpitæ,
Animo, poplite, calamo,
Venerabundus, gratulabundus, ſupplex,
Humillimum ſacrat obſequium
Alexander Vbaldus Peruſinus.

In

In vno crine colli tui.
Cant. 4.

SI ſunt vnius tam vulnera certa capilli;
Dic mihi; fulminei quid facient oculi?

Alexander de Baptiſtis Peruſinus.

Nigra ſum ſed formoſa.
Cant. 1.

ASpicis, vt dio niteat Virguncula vultu,
Vt bene formoſo ſtet niger ore color!
Scilicet æthereũ rapit hæc formoſa parẽtem;
Et terret nigro ſcilicet ore nefas.

Antonius Franciſcus Paſſerinus
Cortonenſis.

Ad Beatiſſimam Infantulam.

SIdera Virgo tui ſunt lucida ſidera ocelli;
Sidereas vincis ſed tamen ipſa faces.
Candida cum lucent, nigram dant ſidera noctem,
Sed tua dant pulchrũ lumina pulchra diẽ.

Aurelius Vbaldus Peruſinus.

Ad D. ANNAM.

FOrtunata Parens, triſtem ſolare ſenectam;
Dat tibi fœcundus gaudia certa ſinus.
Aſpicis, vt dio radiet formoſa lepore,
Qualis amor ſuperum, qualis & orbis honor.
Multiplici plaudant aliæ ſibi prole parentes;
Maxima natarum hęc vna Puella tua eſt.

Carolus Iannottus Tiphernat.

Eiuſdem oſcula.

EXcipe Nata, genis tua quæ tibi mater amoris.
Oſcula defigit, quodque dat illa, refer.
Oſcula Nata refer; iam ludere diſce labellis,
Tu, quæ olim debes oſcula ferre Deo.
Oſcula, agè, ingemina; mihi ſunt pars oſcula vitæ.
Si gemines, maior vita parentis erit.

Feliciſſimus Oliuerius Nucerinus.

AND.

D. ANNÆ
Beata ſterilitas.

INfæcunda parens, ſobolique haud apta creandæ,
Cui nullum tulerant viſcera pigra decus;
Ingemuit, Superoſq. petens mæſtiſſima votis,
Senſit ad effuſas numina amica preces.
O quantũ caſtæ in Cælum potuere querelæ!
Non dedit hæc alius pignora tanta ſinus.

Franciſcus Camillus Nucerinus.

Fulcite me floribus, ſtipate me malis. *Cant. 2.*

PArce Infans; non æqua petis, nec danda requiris;
Cum malis nitidus flos ſimul eſſe nequit.
Aſpice. vernanti pubeſcunt arbore flores,
Sed flores fructu mox oriente cadunt.
Quid loquor ah demens? tibi dat Regnator Olympi,
Vtroque vt poſſis tu ſimul vna frui.
Virgo eris & Mater. Fructus licet inclyta proles,
Flos tamen illæſus Virginitatis erit.

Horatius Ferrettus Peruſinus.

ADO.

ADONIVM.

Concinit æther
Læta ſonorus,
Concinit vnda
Dulcè reſultans,
Concinit alto
Murmure tellus
Ordia prima
Virginis almæ.
Nata Puella
Sidere fauſto,
Numine plena
Candida Virgo
Munera poſcit
Debita caſtis
Munera cunis.
Ferre nitentes
Luce lapillos,
Et pretioſa
Pondera gēmis,
Vel meliore
Clara metallo,
Non ego poſſum
Paupere cenſu.
Et licet olim
Copia detur;
Talia certè
Dona recuſat,
Perſide gaza
Ditior Infans.
An radiantem
Veris honorem
Vndiq. ab hortis
Depopulabor,
Pulchra daturus
Texta corollis
Vinctaq. ſertis
Florea Natæ
Munera Diuæ!
Illa ſed omni
Vere beata,
Et magis omni
Flore coruſca,
Cui nitet ore
Tota reſulgens,

Gratia Cæli,
Deſpicit omnem
Veris honorem.
Ergò licebit
Arte canora
tendere fila,
Plectraque molli
Carmine longũ
Perſonuiſſe,
Quò Dea dulcem
Victa ſoporem
Carpat ocellis.
Ergò decebit
Arte ſoluta
Texere laudes,
Lætaque circum
Spargere doctæ
Fulmina lĩguę?
Sed mihi nulla
Copia fandi,
Nulla canendi;
Lingua nec vlla
Nec lyra poſſit
Virgine dignum
Dicere verbum,
Fundere Carmẽ.
Quid ſupeſt? quid
Sic inopi, ſic
Rebus egenti,
Ingenioquè
Deſidioſo?
Hoc dare certè;
Quod dare poſſũ;
Dulcè calentem
Pectoris æſtum,
Cordis amorem.
Hoc tibi ſacrum
Perpetuò eſto
Munere Diua.
Cor tibi Virgo,
Cor tibi munus,
Quod petis vnũ,
Quod placet vnũ
Virgo dicamus.

Hieronymus Franſonus Ianuenſis.

D. AN-

D. ANNA
Ad Beatiſſimam Infantulam.

NAta, cui vagus eſt loquela riſus,
Quæ nam dulcior è meis papillis,
O Nata, annue, ſit tuis labellis.
Num dulcis magè dextra, nũ ſiniſtra?
Sunt ambæ tibi, ſi petis, paratæ.
Ob nil annuis? an tuis labellis
Dulces ſunt pariter meæ papillæ?
Sic eredo. tamen, obe, nunc ſiniſtram
Sugendam reſero; futura namque
Hæc eſt dulcior, eſt magiſque dulcis.
Suge, Natula bella, nunc ſiuiſtram;
Nam cordi adiacet hæc tuæ parentis,
Dulcius fluit vnde lac cibuſque.
Suge, Natula bella, nunc ſiniſtram.
Hanc ſugas volo; nam tuæ parentis
Gaudebunt quoquè corda, tacta bellis
Erunt dum propiùs tuis labellis.
Suge, Natula bella, nunc ſiniſtram.

Hieronymus Sbarra Lucenſis.

Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla Hortum meum, & fluent aromata illius.
Cantic. 4.

POſcit terra gemens tranquilli aſpergine fluctus
Perfundi, nimius dum leo torret agros.
Surge Aquilo, & Soles optato frigore ſolue,
Tuque veni leni nimbifer Auſter aqua.
O benè! Diuinus ſua perpluit arua Colonus;
Fundit odoratas floridus Hortus opes.

Io: Baptiſta Barberius Romanus.

Ad D. ANNAM.

IAm ſatis eſt lacrymis, ſatis indulſiſſe dolori,
Sollicitaque Patrem Diuum adijſſe prece.
Ecce tibi pandit fauſto ſe lumine cælum,
Et ſteriles vteros pondera læta grauant.
O bene tam multis quæſita Infantula votis!
Compenſant longas munera larga moras.

Iulius Caſar Ruffinius Pergulenſis.

Sacras Deiparæ cunas & Dominæ ſuæ recèns natæ inuiſentes.

Hendecaſyllabon.

O *Quæ præpetibus citata pennis,*
Paruos Nazareæ Domus penates,
(Paruos non tamen inuidos olympo.)
Subis Aligerum canora pubes;
Quà diuina nouum Puella vultu
Præfulgens iubar emicante pãdit;
Aeterni ſoboles Puella Patris,
Infans dia, parens beatitatum,
Et formoſa nimis, nimis decora;
Longè maxima Virginum Puella,
Omnium decus elegantiarum.
Dic pubes, agè, dic amica pubes,
Quæ lingua Dominæ lyraque plaudens,
Mille carmina fers, modoſq. mille,

Et das munera mille, mille gẽmas,
Gemmis omnibus, omnibus lapillis
Diuites magis, & magis nitentes;
Quibus pulchra ſuam dedere lucem
Sidera, & face clariore Titan
Se dedit; tamen ipſa nata veſtro
Omni munere maior eſt Puella.
Dic pubes bona, dic obe, precamur,
Quantùm ſiderei micent ocelli,
Quantùm molliculæ genæ manuſque,
Quanto lumine fulgurent capilli,
Cæli nectare roſcidi capilli;
Et quæ bella labella, quæq. dulci
Ore ſpirat amænitas, voluptas;
Quot illic roſeo decore flores,
Quot ludãt Chariteſq. Gratiæque,
Obe, dic bona, dic benigna pubes.
Namquè tu potes ora contueri
Obtutu facili; tibi ſereno
Mitis annuit ecce Diua riſu;
Et deſcribere tu potes canendo
Diuam ſideribus venuſtiorem.
Sic ego. Aligerum referre viſa

Sic pubes. Operis Deus creator
Diuini, quod amat fouetque, Coniux
Sponſam præcipuè ſibi cupitam,
Ante ſæcula proditam vetuſta,
Ante nos genitam, Deoq. plenam;
Laudibus ſatis & decenter vnus
Conditor Deus euehit Puellam.

Io: Benedictus Coppolus Peruſinus.

Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ. *Cant.* 4.

QVòd rubeant genulę nil mirum Virginis; oſtrum
Virgineæ cuſtos integritatis erit.

Nicolaus Ciccius Peruſinus.

Electa

Electa vt Sol.
Cant. 6.

OMnia Solis habes. Sed Solem lurida condunt
Nubila; perpetuum tu facis ore diem.

Raynerius Senſius Peruſinus.

Beatiſſimę Infanti Næniola.

SOmne veni, dulciſque meæ vaga lumina natæ
Conde, ſoporata ſomne benigne manu.
Conde puellares cæleſtum gaudia giros,
Partem conde mei, deliciaſque meas.
At ſi condideris, quæ tunc mihi vita? tenebris
Obruta, & in medijs triſtè ſepulta malis.
Somne veni tamen, eia veni, vaga lumina natæ
Conde; micant cæca ſidera nocte magis.

Rodulphus Gaugellius Pergulenſis.

D. ANNÆ timor
Nè B. Infans expergeſiat.

Nè ſuſcitetis neq, euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. *Cant.* 3.

O Auræ, modò quæ vagis flabellis
Exiſtis, rogo vos, obe, ſilete,
Frænis murmure, quod ſtrepit, retẽto;
Nam dormit mea nata, nata dormit;
Dormit lux mea, cura, vis, voluptas.
Quin & tu, ò ſuperum cohors beata,
Quæ cunas choreis mea puellæ
Circundas, agè carminum frequentes
Plauſus comprime, nè ſonus Puellæ
Expellat placidum leuemq. ſomnum:
Dormit Pupula, vita, corq. matris,
Dormit, dormit Amor ſuæ parentis.
Obe vos rogo, quotquot hic adeſtis,
Illi nè placidos vagoſque ocellos
Turbetis, mea lumina excitando,
Illa quò placet vſque conquieſcat.
O auræ, modò quæ vagis flabellis
Exiſtis, rogo vos, obe ſilete.

Ruffinus Ruffinius Pergulenſis.

Ad B. V.

Pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs D.

D. H. MONALDO EPISCOPO

VOTVM.

O *Quæ nomina pulchra fers*
Roſarum,
Regina, & roſeo decore fulges,
Diua; cui ſuperis citata limphis
Currũt flumina mille, mille fontes
Certatim charitumq. munerumq.
Quæ par ſola pari potes referre.
Vides, vt placido ſerenus ore
Auguſta dominetur vrbe Præſul,
Præſul egregium decus vetuſtæ
Gentis, & patriæ ſalus, voluptas,
Amor, præſidium, parenſq. dulcis.
Diua, hoc te precibus rogamus vnũ,
Vnũ hoc præcipuè õnibus medullis;
Patri larga fluenta gratiarum
E tuo veniant ſinu beato,
Et felix Pyliæ vigor ſenectæ;
Reddaſq. emerito Roſas precamur,
Tu, quæ nomina pulchra fers Ro-
ſarum.

Sebaſtianus Ambroſius Fabrianenſis.

Præmi-

Præmicantem ſplendidè
Ortu ſereno, fulgidam manè
Stellam tueor, Stellam veneror,
Pulchram Diuam.
O decus aureum!
Lumen amabile!
Vitalis æſtus calorem dium!
O Stellam omnibus
Maiorem ſtellis,
Flagrantiorem ignibus,
Clariorem Solibus!
Quę perpetuò naſceris,
Denaſceris nunquam,
Oriens vbique, nuſquam occidens.
O ego tangar
Radiolo propitij luminis!
O ego incendar
Igniculo amici ſideris!
Totus ferar, totus ardeam
In amorem, in venerationem
Magnæ Patuulæ, Infantis regiæ,
Diuinæ Pupulæ;
Luciferæ Stellæ, Stellæ Deiferæ;
Cui iam nunc dono & dico
Animitùs medullitùs
Cum ſtilo manum, cum manu mentem,
cum lingua cor
Thomas Sandonninius Lucenſis.

Ad

AD

B. VIRGINEM

COELI

PROMO-CONDAM

TERRÆQVE

ARBITRAM DOMINAM

in ſumma agri ſterilitate
& frumenti inopia,

Pro felici Seminarij annona

VOTVM.

AVrei Regina potens Olympi,
Gryphios tractus, & amica latè
Arua, quà leni fluit amne Tybris;
Quà Thrasymeni

No-

Nobiles vndæ pelago ſonanti
Littora excurrunt opulenta; quàq.
Fertiles circum Cainæ vagantis
Gurgite glebæ;

Curciani quà tumidæ beatis
Quas amat vites Bromius racemis;
Quos ferax colles olea virenti
Pallas inumbrat;

Quà pruinoſo ferit aſtra dorſo
Thetius; quà ſaxa iacent vetuſta
Oppidi exciſi, dederunt cui Nigri
Nomina Montis;

Hìc vbi ludunt pecudes ſalubri
Paſcuo fætæ grauidaque mamma,
Velleris clari pretio, virentquè
Balnula Tempe;

Diua

Diua fæcundis, agè, Diua ocellis
Reſpice huc currus, agè, Diua vertens,
Huc, agè, ò vultus bona Diua pulchri
Flecte ſerenum.

Aurei tecum remeabit æui
Diues Annona, & pietas, fideſq.
Tum ſalus, tū pax, nec auara læto
Copia cornu.

Tetricæ rupes ſterileſque arenæ
Gargaras vincent ſuperāte ariſtas
Meſſe, inundabunt gemino ſuperbi
Nectare riui.

Io: Maria Bottus Lericenſis.

Ad

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

D. MARCVM ABBATEM GALLIVM PERVSIÆ VMBRIÆQVE PRÆSIDEM,

Cum Academicam Seminarij Aulam præſentiæ ſuæ lumine colluſtraret.

Alluſio ad Stemma.

ET VOLVCRVM REGINA Tibi, & LEO REX Animantum,
MARCE, Tibi hic ſtudio ſeruit & illa pari.
Omnia ſunt Regis pulchro cum ſtemmate; mores,
Pectus, & ingenium, vt Regibus eſſe ſolent.
O ſuperet modò vita! feret fortuna, quod optat
Orbis; par animo, par meritoque decus.

Ad

Ad Eundem Illuſtriſſimum Præſidem.

De eius immaturo abitu Peruſiæ querela.

QVuod Tibi ſtemma nitet, Præſul digniſſime GALLI,
Aſpice, res mira eſt; hoc mihi ſtemma nitet.
Eſt Tibi cùm LEO magnanimus, tum REGIVS ALES;
Eſt GRYPHVS, conſtans corpore vtroque, mihi.
Et Tu non præſes, viſus Pater optimus eſſe;
Atque ego Te Ciuem, Te venerata Patrem.
Sic tamen immaturus abis, triſtemque relinquis.
Heu! tua debuerat longior eſſe mora.
Verùm abeas Felix, me ingrata obliuia tangent
Si GRYPHI; potero non meminiſſe Tui.

In Auguſta Peruſia,
Typis Hæredum A. Bartoli, & A. Laurentij.
Anno MDCLIII.
Superiorum Permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google